

eoquod (iudaei) pro maiore parte sint omnes usuris, iniquitatibus, dolis... aliisque flagitiis immersi. Ergo servus ille Dei, de quo Isa. 52, v. 13 usque ad finem sequentis capitis 53 sermo est, non est populus iudaicus. III. Idem servus Dei Isa. 53, v. 3 dicitur *novissimus virorum, vir dolorum*. Atqui hic modus loquendi non significat integrum populum, sed personam aliquam singularem. Et sane incipiendo a versu 13 capitis 52 usque ad finem sequentis capitis 53 omnia de servo Dei dicta proferuntur tanquam de unica singulari persona. *Ecce intelliget servus meus.... vere languores nostros tulit.... ipse autem vulneratus est.... oblatus est, quia ipse voluit etc.*, sat claro indicio, quod hic de una certa persona, scilicet Christo, sermo sit, non de iudaeis seu integro populo iudaico. Respondent quidem recentiores iudaei, populum iudaicum a prophetis non raro *servum Dei* nominari in numero singulari, adeoque merito dici, quod etiam Isa. 52, v. 13 usque ad finem capitis 53 propheta per *servum Dei*, quem ibi afflictum, vulneratum etc., sed postea iterum exaltatum describit, iudaeorum populum intelligat, et de hoc quasi de uno homine loquatur. Sed contra est: non negamus, quod Deus in s. Scriptura populum iudaicum appellet *servum suum* (1): sed etiam *Moyses, David* etc., et ipse *Christus* seu *Messias* (2) in illa hoc nomine appellantur. Unde ex sub-

(1) Sic Isai. c. 41, v. 8, his verbis: *Et tu Israël serve meus*, significatur populus israeliticus. Vide etiam Isai. c. 44, v. 1, aliave Scripturae loca in hanc rem.

(2) Vide *Cornelium a Lap.* commentar, in Isai. c. 42, v. 1, c. 43, v. 10, c. 19, v. 3.

(3) Num. 87, et praesente n. 88.

(4) In citato libro, cui titulus: *Munimen Fidei*, c. 22, pag. 157.

iecta materia, circumstantiis, aut aliunde desumi debet, utrum in hoc vel illo Scripturae loco per *servum Dei* intelligatur totus populus iudaicus, vel persona aliqua singularis. Iam autem, quod Isa. 52, v. 13 usque ad finem capitis 53 per *servum Dei*, de quo ibi sermo est, non intelligatur integer populus iudaicus, sed persona singularis, iam supra (3) probatum est ex unanimi consensu interpretum veterum etiam hebraeorum, ex paraphrasi chaldaica, ac ex ipso contextu seu verbis capitis 53.

89. INSTAT *Orobio* iudaicus, et ait (4): Si *Iesus Nazarenus* Deus est, ut christiani credunt, non potuit dici *servus Dei*, non potuit pati, mori etc. R. *Iesus Nazarenus* est Deus et homo; ut homo potuit pati, mori, estque simul filius et servus Dei; licet enim idem, quia homo sit filius Dei, et quidem filius naturalis, quatenus scilicet humanitas illa subsistit in persona Verbi, quae est filius Dei naturalis; tamen idem est et servus ratione ipsius naturae, puta humanitatis, quam assumpsit: haec est enim creatura, ac proinde serva sui Creatoris, prout *Cornelius a Lap.* (5) recte observat, et theologi orthodoxi (6) cum d. *Thoma* (7) in tractatu de incarnatione fusius explicare solent.

Ceterum, nisi *Iesus Nazarenus* verus Deus esset, non potuisset Deo condignam satisfactionem praestare pro nostris peccatis, sicque nos a morte aeterna redimere; quia nulla

(5) Commentar. in Isai. c. 42, v. 1.

(6) *Suarez* commentar. in 5 part. s. *Thomae*, tom. 1, disput. 44, *Billuart* cursus theolog. tom. 15, dissertat. 20, art. 1, *Joseph Widmann* in institut. univers. theolog. tom. 3, § 38, pag. 176 et 177.

(7) *Summae* theolog. part. 3, q. 20.

pura creatura sive pro suis, sive pro alienis peccatis condigne Deo satisfacere potest, prout denuo theologi cum s. *Thoma* (1) probare solent. Certe ab ipsomet *Isaia* *Messias* appellatur *Deus fortis* (2) ac *Emmanuel*, i. e., *nobiscum Deus*, unde veteres iudaei divinitatem Messiae attribuebant, sicut nos eandem *Iesu Nazareno* attribuimus; quem admodum *Galatinus* (3) solide ac erudite ostendit.

90. SCHOLION. Equidem multa adhuc de vaticiniis *Isaiae* contra novatores et incredulos in medium proferri possent; inter quae etiam distinctior explicatio horum verborum (Isa. 53, v. 4 et 5): *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.... Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra etc.*, quibus et sequentibus verbis contra *socinianos* efficaciter sane probatur, Christum pro nobis non tantum improprie (prout ipsi volunt), sed vere et proprie satisfecisse passione ac morte sua. Verum haec fidei veritas passim in theologorum orthodoxorum libris (4) tum ex modo citatis *Isaiae* verbis, tum ex aliis s. Scripturae locis manifeste demonstrata extat, ut adeo hoc loco haud necessariam iudicem ampliore illius controversiae discussionem. Similiter quamvis multa adhuc de tortis, falsis et impiis vaticiniorum *Isaiae* ab *Horo* factis expositionibus dici possent, his tamen ulterius commemorandis superse-

(1) Part. 5, q. 1, art. 2, ad secundum: vide etiam *Joseph Münschen* theolog. dogmat. specul. p. 2, disput. 1, q. 2, n. 297, et seq. *Tournely*, tom. 1, cursus theolog. p. 3, p. 5, art. 1, argum. 2.

(2) Isai. c. 7, v. 14, et c. 9, v. 6.

(3) L. 5, c. 5, et seq.

(4) Vide *Tournely*, loc. cit. art. 2, *Billuart* loc. cit. dissertat. 19, art. 4.

(5) Num. 5, 6, 57 et 84.

deo; praesertim quia ex supra dictis (5) abunde patet, quam absurdae et prorsus gratis confictae sint huius auctoris expositiones, ex vanis aegyptiorum aut aliorum gentilium fabulis haustae. Nihilominus, ut idipsum amplius confirmetur, in sequentibus prophetis illius fabulatoris (puta *Hori*) hinc inde aliquam mentionem, addita refutatione somniorum ipsius, facturus sum.

CAPUT II.

De *Ieremia* cum *Baruch*.

IEREMIAS hebraice ירמיה, *Iirmeta*, sive, ut in contextu libri habetur ירמיהו *Iirmeiahu*, id est, *excelsus Domini*, vel *celsitudo Domini*, fuit filius *Helciae* ex genere sacerdotali, natus in *Anathoth*, viculo de tribu *Beniamin*, distante tribus milliaribus *Hierosolyma*, ut s. *Hieronymus* (6) observat. Teste eodem s. doctore (7) *Ieremias* anno vitae suae circiter 15 adhuc puer existens prophetare coepit, ac continuavit per 45 fere annos sub quinque regibus *Iuda*, nempe sub *Iosia*, *Ioachaz*, *Ioakim*, *Iechonia*, *Sedecia*, usque ad excidium urbis et templi, quod explorat in suis lamentationibus. Tandem in *Aegyptum* abductus a residuis iudaeis, ibidem in *Taphnis*, urbe regia, a iudaeis lapidibus obrutus est (8), et celebratur ut martyr a *Tertull.* (9), *Epiphanio* (10), *Dorotheo* (11), *Isidoro* (2), et *Martyrologio romano* (13). Eum semper virginem permansisse, tradunt *Ignatius M.* (14),

(6) Praefat. in *Ieremiam*.

(7) Ibidem.

(8) Vide *Bellarminum* de Scriptor. Eccles. *Ieremias*.

(9) In *Scorpiaco*, c. 8.

(10) De vita Prophetarum.

(11) In *Synopsi*.

(12) De vita et morte Sanctorum.

(13) l. maii.

(14) Epist. ad *Philadelphios*.

Hieronymus (1), *Isidorus* (2), et colligitur ex illis Dei ad ipsum verbis (3): *Non accipies uxorem.*

Porro liber *Ieremiae* ab omnibus ut *proto-canonicus* (4) admittitur. Notandum tamen I. quod *Ieremias* prophetias suas communiter dictaverit, *Baruch* vero eius scriba seu amanuensis easdem scripserit, ut patet ex *Ierem.* 36, v. 4: « Vocavit ergo *Ieremias* *Baruch* filium *Neriae*: et scripsit *Baruch* ex ore *Ieremiae* omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine libri. » Cumque *Ioakim* rex Iuda (*Ibid.* v. 23) tres pagellas vel quatuor oraculorum *Ieremiae* combussisset, « *Ieremias* (*ibid.* v. 32) tulit volumen aliud, et dedit illud *Baruch*, qui scripsit in eo ex ore *Ieremiae* omnes sermones libri, quem combusserat *Ioakim* rex Iuda igni, et insuper additi sunt sermones multo plures quam antea fuerant. » Ceterum, quamvis *Baruch* fuerit amanuensis *Ieremiae*, et huius prophetias scripto exaraverit; tamen etiam proprium quendam librum propheticum scripsit. Nam post mortem *Ieremiae*, cui constanter adhaesit etiam in Aegypto, ipse hanc regionem deseruit et secessit in Babyloniam anno quinto ab excisa Hierosolyma (5), ut regem *Iechoniam* aliosque iudaeos ibi captivos solaretur ac roboraret. Unde ibi librum suum, qui in vulgata nostra nomine *prophetia Baruch* continetur, conscripsit haud dubie hebraice vel chaldaice: sed hebraeum exemplar iam intercidit. Verum redeamus ad librum *Ieremiae*. Notandum II. quod postremum caput libri *Ieremiae*, nempe

(1) Praefat. in *Ieremiam*.

(2) Loc. cit.

(3) *Ierem.* c. 16, v. 2.

(4) Vide *Scriptur.* s. contra incredulos propugn., V. T., part. 4. sect. 4, q. 1.

(5) *Baruch* c. 1, v. 2.

52 ab alio (probabiliter ab *Esdra*) appositum sit; prout patet ex fine capitis 51, quod sic clauditur: *Hucusque verba Ieremiae.* Notandum III. quod ordo capitum in libro *Ieremiae* non sit ordo temporis, quo singula contigerunt, sed saepe priora capita ea, quae posterius facta sunt, referunt, aut posteriora, quae prius facta sunt, recensent: quod in prophetis perfrequens est.

Denique argumentum prophetiae *Ieremiae* est: 1. praedicat excidium Hierosolymae ob peccata, quae iudaeis exprobrat. 2. Consolatur tamen iterum eosdem, praedicando post septuaginta annos e captivitate reditum. 3. Porro non raro *Ieremias* fuit typus aut propheta Christi (6). De stylo autem huius prophetae s. *Hieronymus* (7) ait: *Qui quantum in verbis simplex videtur et facilis, tantum in maiestate sensuum profundissimus est!*

91. QUARES I. Num verisimile sit, quod *Ieremias*, ANTEQUAM EXIERIT DE VULVA SANCTIFICATUS fuerit, ut (*Ierem.* 1, v. 5) dicitur: *cum tamen ipsemet* (cap. 20, v. 14 et seqq.) *diei nativitatis suae maledixerit, exclamans: MALEDICTA DIES, IN QUA NATUS SUM. Num maledicendum diei, in quo homo sanctificatus nascitur?* R. I. Teste *Salmeron* (8), et *Tirino* (9) graves quidam auctores verba illa: *Antequam exires de vulva, sanctificavi te*, non exponunt hoc sensu, quod *Ieremiae* adhuc in utero materno existenti remissum fuerit peccatum originale et infusa gratia sanctificans; sed duntaxat isto sensu: *Antequam nascereris, praedestinavi, praeparavi te in prophetam.* Verum, quia communis est

(6) V. *Corn. a Lap.* proleg. in *Ierem.*

(7) Praefat. in lib. 6 comment. in *Ieremiam*.

(8) Tom. 2, tract. 34.

(9) Commentar. in *Ierem.* c. 1, v. 5.

doctorum sententia, quod *Ieremias* vere fuerit sanctificatus in utero, et infusa ei gratia sanctificans antequam nasceretur. R. II. et cum *Calmeto* (1) dico, *Ieremiam*, dum diei nativitatis suae maledixit, more orientalium usum esse modis loquendi vehementioribus, violentis et hyperbolicis, quibus ostendere voluit, quantas angustias, et quam gravia mala patiatur. Vel cum *Cornelio a Lap.* (2), et quibusdam aliis ab eodem citatis dici potest, haec verba: *maledicta dies, in qua natus sum - maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens: natus est tibi puer etc.*; esse modum loquendi hebraeorum, ut per maledictionem tantum intelligant interiectionem optantis, ita ut sensus sit: *Utinam nunquam essem natus, ac consequenter, utinam nunquam fuisset homo id nuntians!* Porro, dum ita optat *Ieremias*, abstrahit a sanctificatione, seu statu gratiae et ordinatione Dei, tantum spectans naturalia bona et mala. Sunt enim illae purae naturae voces et velleitates circa rem praeteritam et mutatu impossibilem, quas vehementia doloris quasi naturaliter exprimit, praecise ad mali gravitatem ostendendam (3). Quasi diceret: *Si commoda et incommoda naturalia spectem, quae sunt tam in vita, qua in carentia vitae, optarem nunquam natum esse, quam vivere.* Sic alibi (4) dicitur: *Laudavi magis mortuos, quam viventes, et feliciorum utroque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala, quae sub sole fiunt.* Et iterum (5): *Melior est dies mortis die nativitatis.* Vel denique, et fortassis omnium optime cum *Xaver. Widenhofer* dici

(1) Commentar. in *Ierem.* c. 20, v. 14.

(2) *Ibid.*

(3) Vide *Script.* s. contra incredulos propugn., V. T., p. 4, sect. 4, de libro *Job*, q. 4, n. 117-121.

potest, quod *Ieremias* non absolute, sed tantum conditionate maledixerit diei nativitatis suae, nimirum sub hac conditione: *Si sim falsus propheta, et non ex Dei sensu loquar, sed ex meo, ut frustra patiar, quaecumque ob mea vaticinia patior.* Ita nimirum conditionate maledixit ad defendendam suam innocentiam et veram missionem prophetandi a Deo acceptam contra calumniatores, qui ipsum deridebant, et studiose ad eius dicta et facta attendebant, utrum non in aliqua re erret et decipiat, ut sic illum tanquam falsum prophetam apud regem accusare possint. Sed audiamus verba ipsa memorati cl. auctoris. Sic ait (6): « Quod ad v. 14, 15 (*Ierem.* cap. 20) pertinet, ea per hystero-logiam recitata, versui octavo, nono et decimo subiungenda sunt, ut maneat continuatio querimoniae: vel subintelligi debet ex v. 9 *dixeram: maledicta dies, in qua natus sum etc.*; sed ad quos dixerat *Ieremias* hos versus execratorios? R.: ad illos, qui v. 10 *Ieremiam* calumniabantur ut falsum prophetam, dicentes: *Persequamur eum, si quo modo decipiatur, et praevaleamus adversus eum etc.* His ait: *Si ego non ex Dei sensu loquor, sed ex meo, ita ut frustra haec patiar; vere melius esset, si nec natus, nec per quemquam patri annuntiatus fuisset, sed iam maledictus in conceptione statim in vulva occubuissem....* At cur v. 15 et 16 maledicit viro, qui annuntiavit patri, quod natus sit *Ieremias*? R. Non maledicit absolute, sed conditionate, ut dixi, quatenus in nativitate particeps gaudii, nunc particeps maledictionis pronuntiatur fore, si indicasset nativitatem falsi prophetae, qui se ultro ac sine ra-

(4) *Ecclesiast.* c. 4, v. 2.

(5) *Ibid.* c. 7, v. 2.

(6) Commentar. in *Ierem.* c. 20, v. 7.

tione in tot labores ac dolores coniecerit. »

Hucusque laudatus auctor, cuius expositioni etiam suffragatur germanica versio bibliorum facta a cl. Ignatio Weitenauer, qui Ierem. 20, v. 14 adiecta per parenthesin conditione, ita (1) vertit: (Wenn ich dieses nicht mit aufrichtigem Herzen sage) soll der Tag, an dem ich von meiner Mutter bin geboren worden, verflucht, und ungesegnet seyn. Et pariter v. 17: Warum hat mich (Gott) nich eher in Mutterleibe getödtet und mein Geburt verhindert (wenn er vorsah, dass ich ihn mit falschen Weissagungen entehren würde?) En! etiam iste auctor in germanica sua versione supponit et censet, Ieremiam non absolute, sed solum conditionate diei nativitatis suae maledixisse, ad demonstrandam nempe suam contra calumniatores innocentiam; quia sciebat, hanc conditionem, Si SIM FALSUS PROPHETA DECEPTOR, non impleri, seque a tanto crimine quam longissime remotum esse.

COROLLARIUM. Calvinus haec Ieremiae verba, *maledicta dies in qua natus sum etc.*, immerito et prorsus maligne vocat blasphemias et contumelias in Deum naturae et ortus auctorem. Si enim propheta verbis illis Deum blasphemare voluisset, certe in versu 13 immediate praecedente non tam affectuose Deum laudasset, dicens: *Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum*, prout teste Cornelio a Lap. (2), s. Hieronymus, Origenes, Theodoretus et ceteri recte observarunt.

(1) Huius germanicae versionis sensus latine exprimi potest Ierem. c. 20, v. 14, (Si hoc non sincero corde dicam) maledicta sit dies, in qua natus sum. Et v. 17: Quare me (Deus) non interfecit in utero materno, et nativitatem meam impedivit,

92. QUARES II. *An ex illis verbis* (Ierem. 7, v. 22): NON SUM LOGUTUS CUM PATRIBUS VESTRIS: ET NON PRAECEPI EIS IN DIE, QUA EDUXI EOS DE TERRA AEGYPTI, DE VERBO HOLOCAUTOMATUM ET VICTIMARUM, d. de Voltairio recte probet, hebraeos in deserto nullum Deo publicum cultum impendisse? R. Negative. Nam interpretes (3) ex contextu solide ostendunt, quod citata verba (Ierem. 7, v. 22) nil aliud velint, quam Deum abominari exteriorem cultum, qui non sit coniunctus cum cultu interno, seu cum observatione mandatorum Dei; quemadmodum eiusmodi cultum mere externum (Isa. 1, v. 13; Amos 5, v. 21-24 et alibi) sine interno Deus reprobatur. Unde etiam auctor *epistolarum iudaicarum ad d. de Voltaire* pag. 209 ad oculum ostendit, quam improvide hoc argumentum Voltairius a Tindalio mutuatus sit; cum citata verba (Ier. 7, v. 22) reapse nil aliud velint, quam Deo non esse grata sacrificia illorum, qui Deum externe colunt, intus autem in animo sceleribus pleno ipsum inhonorant et offendunt. Ceterum quod hebraei in deserto publicum Deo cultum impenderint, patet ex Exod. 20, v. 24, ubi Deus ad Moysen ait: *Allare de terra facietis mihi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra*. Idem indicatur Exod. c. 27, ubi altare holocaustorum et alia ad cultum Dei externum parari iubentur. Exod. cap. 38, ubi fabricatur altare holocaustorum cum aliis ad cultum externum destinatis. Libro Levitici, ubi tractatur de sacrificiis et hostiis, de sacerdotibus

(si praevidit, quod ipsum falsis prophetiis inhonoraturus essem?)

(2) Commentar. in Ierem. c. 20, v. 14.

(3) Vide Tirinum, Menochiam, etc. comment. in Ierem. c. 7, v. 22.

et levitis, deque diebus festis celebrandis. Libro Num. cap. 7, ubi oblationes principum duodecim tribuum in dedicationem tabernaculi et altaris recensentur, et v. 2 et 3 dicitur: *Obtulerunt principes Israel. . . . munera coram Domino etc.*, etc.

93. QUARES III. *Quomodo illud* (Ierem. c. 20, v. 7): SEDUXISTI ME, DOMINE, ET SEDUCTUS SUM, intelligendum sit? R. Cum Cornelio a Lap. et dico, *Ieremiam* hic loqui ex humano spiritu pusillanimitatis et anxietatis animi, uti et Iob (1). Videntur autem nobis querimoniae (*Ieremiae* sicut et *Iobi*) nimium acres vehementesque, quia nos europaei loquendi modis uti solemus castigatioribus, magisque simplicibus, quam quibus orientales uti consueverant; prout Calmet in hunc locum *Ieremiae* recte observat. Nam apud eos populos verba, quae nostratibus duriuscula, et audacia viderentur, res omnino simplices innuunt. Sic cum ait propheta, se a Deo seductum fuisse, tantum vult innuere, se sperasse futurum, ut absque tantis afflictionibus, opprobriis, et irrisionibus iudaeorum munere suo prophetandi fungeretur, ac se hoc in sensu verba Domini ad hoc munus vocantis intellexisse: at nosse tandem, se in sua spe esse deceptum, et onus opinione sua gravius se suscepisse. Itaque *Ieremias* his querelis ad Deum fuis, *Seduxisti me, Domine, et seductus sum. . . factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me, etc.* quasi dicit: « Detrectavi munus prophete

(1) Vide Scriptur. s. contra incredulos propugn., V. T., p. 4, n. 118 et 119.

(2) Ierem. c. 1, v. 6.

(3) Ibid. v. 18.

(4) Ad Galat. c. 5, v. 15.

(5) In notione dogmatica s. Scripturae utriusque testamenti, p. 198.

tae, dicens, *Puer ego sum* (2), ad id me induxisti, promittens me fore quasi *columnnam ferream* (3), contra quam hostes non essent praevalituri; et ecce omnes obrunt me, et succumbo carceri, aerumnis, odiis, irrisionibus, et sannis iudaeorum; sicque veluti callide in hosce compedes et aerumnas inductus mihi videor. » Ita rem hanc explicat *Cornelius a Lap.* cum *Theodoro* et *Vatablo*.

Aliam expositionem huius loci nobis suggerit *Sanctius*, qui ait, subinde in s. Scriptura dici factum esse aliquid eo consilio et affectu, quo plerumque ab hominibus fieri solet, licet reipsa longe aliter se habeat. Sic iubemur a Christo odisse patrem, quin et animam; id est, eorum suggestiones relinquere, cum Dei legi aut voci repugnant, quod tamen reipsa potius est eos amare, quam odisse. Sic Christus (4) dicitur pro nobis factum maledictum, quia talia passus est, qualia patiuntur qui a Domino sunt maledicti. Sic *Ieremias* seductus a Deo dici potuit, quia talia pertulit, dum ei obsequitur; qualia, qui ab alio in insidias inducitur, sustinere solet.

Iterum aliam expositionem memorati loci affert cl. *Schunk* (5) hunc in modum disserens; seductio, inquit, sive deceptio duplex est. Alia accidit vitio et culpa aliquid promittentis: alia vitio eius, cui quid promittitur. Haec, non illa prophetae accidit. Nempe promiserat *Ieremiae* (6) Deus, non fore ut a suis hostibus expugnetur; ille au-

(6) Ierem. c. 4, v. 18 et 19. Observat autem *Tirinus* cum aliis in hunc locum, Deum hic *Ieremiae* polliceri, ut solet selectoribus amicis suis, non pacem, non quietem, non prospera; sed adversa, sed praelia, sed insignes victorias.

tem non tantum hoc intellexisse videtur, sed etiam, quod ab illis nil gravius aut certe non tanta adversa passurus sit, in quo seductus, seu errore suo deceptus est.

94. QUÆRES IV. *Quomodo illud* (Ierem. c. 22, v. 10): NOLITE FLERE MORTUUM, NEQUE LUGEATIS SUPER EUM FLETU, cum effato (Eccli. c. 22, v. 10): SUPRA MORTUUM PLORA; DEFECIT ENIM LUX EIUS, conciliandum sit? R. Ieremias propheta solum prohibet, ne mortuus immoderate plangatur, praesertim quando maior adest ploratus causa propter aliam rationem, qualem iudaei, mortem Iosiae pie et gloriose defuncti, supra modum deflentes, habebant in deflendo eius filio Ioachaz (qui alio nomine Solum dicebatur) utpote procul a patria in captivitate mortuo. Ceterum Ecclesiasticus solummodo approbat moderatum luctum supra mortuum, ut patet ex vers. 11 immediate sequenti, ubi dicitur: Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit.

95. QUÆRES V. *Quomodo sequentes Scripturae textus invicem conciliantur; dum* (Ierem. c. 22, v. 19) *de rege Ioakim dicitur: SEPULTURA ASINI SEPELIETUR, PUTREFACTUS ET PROIECTUS EXTRA PORTAS IERUSALEM, h. e. ut* (Ierem. c. 36, v. 30) *explicatur: CADAVER EIUS PROHICETUR AD AESTUM PER DIEM, ET AD GELU PER NOCTEM; sed* (IV. Reg. c. 24, v. 6) *legimus hunc regem DORMIVISSE CUM PATRIBUS SUIS; imo* (II. Paralip. c. 36, v. 6) *narratur, eundem VINCTUM CATENIS, DUCTUM FUISSE BABYLONEM. Quomodo haec tam diversa inter se conciliantur?* R. Verisimilior modus hos textus

(1) Commentar. in Ierem. c. 22, v. 19.

(2) Cl. Weitenauer in sua versione germanica biblicorum Daniel e. 4, v. 1, in nota ostendit, regem Ioakim a Nabuchodonosore cepisse quidem obsideri anno regni sui

conciliandi mihi videtur ille, quem Cornelius a Lap. (1) adhibet. Cum hoc igitur celeberrimo interprete dicimus, regem Ioakim ductum esse Babylonem (2). Sed mox a Nabuchodonosore, quocum res suas composuit, eique tributum promisit, remissus est in Ierusalem; ubi rursus rebellans anno undecimo regni sui, a latrunculis (3) chaldaeorum, ut dicitur (IV. Reg. c. 24, v. 1), urbe Ierusalem intercepta, in ea occisus est, et extra portas protractus, insepultus, instar asini in sterquilinum proiectus est, ut ab avibus et feris lanaretur. Sic enim verissimum manet, quod rex Ioakim Babylonem captivus fuerit abductus, et tamen cadaver eius extra portas Ierusalem proiectum. Neque obstat, quod Scriptura alibi dicat, hunc regem dormivisse cum patribus suis. Nam non addit, eum etiam cum iisdem tumulatum fuisse, quod tamen Scriptura alias solet addere, quando de morte regum loquitur; prout s. Hieronymus in hunc locum bene observat his verbis: *Nec tamen eius (regis Ioakim) sepultura narratur, hanc habente Scriptura sacra consuetudinem, ut omnes reges, et mortuos referat et sepultos.* Igitur locus Scripturae, ubi rex Ioakim dicitur dormivisse cum patribus suis, non aliud, quam illius obitum significat, ita ut sensus sit: mortuus est non secus ac patres sui; aliorum hominum conditionem secutus est.

96. QUÆRES VI. *Quomodo propheta Ieremias, cap. 22, v. 30, Iechoniam virum sterilem appellare potuerit: SCRIBE VIRUM STERILEM; cum tamen Esdras (I. Pa-*

tertio, captum autem esse primum anno regni sui quarto.

(3) Latrunculi isti erant pars exercitus et militum Nabuchodonosoris, quos ipse contra Pharaonem miserat.

ralip. c. 3, v. 16) octo filios Iechoniae recenset? R. Propheta Iechoniam virum sterilem dicit, non quia liberis caruit; nam hi v. 28 praecedente ipsi tribuuntur, sed quod nullum ex semine suo habiturus sit, qui sceptrum regium teneat in Iuda; ut clare dicitur cit. vers. 30, his verbis: *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Iuda.* Nam Zorobabel filius Salathielis et nepos Iechoniae, non fuit rex, sed solum dux populi redeuntis e Babylone in Iudaeam, et principatus iudaeorum deinceps penes pontifices fuit usque ad Herodem, inquit Iosephus (1) et Eusebius (2).

DICES I. Christus descendit ex Iechonia, et regnavit in domo David (3); ergo Iechonias non fuit rex sterilis. R. Christi regnum non fuit temporale fuit, de quo loquitur Ieremias, sed spirituale.

DICES II. Iechoniae successit Sedecias rex. R. Sedecias non fuit de semine, id est, proles Iechoniae, sed patruus. Ceterum brevissimo post tempore, et rex et regnum sub Sedecia funditus interiit.

97. QUÆRES VII. *Quomodo explicetur illud* (Ierem. c. 27, v. 27): OMNES GENTES SERVIENT NABUCHODONOSORI, ET FILIO EIUS, ET FILIO FILII EIUS; cum tamen Nabuchodonosoris filio Balthasari nullus huius filius successerit, sed (Dan. c. 5, v. 31) Darius Medus? R. Ieremias loc. cit. loquitur de Nabuchodonosore seniore seu Nabol Assare, cuius filius erat Nabuchodonosor iunior, postea dicitur Magnus, qui Ierosolymam e-

vertit: Balthasar autem erat Nabuchodonosoris senioris nepos, seu filius filii, nempe filius Nabuchodonosoris magni; ut ostendit Tiri-nus (4) cum Cornelio a Lap. Et profecto veritas huius responsionis patet ex ipso initio citati capituli 27, ubi Ieremias propheta ait, se haec locutum esse in principio regni Ioachim filii Iosiae regis Iuda. Atqui in principio regni Ioakim regnabat Nabuchodonosor senior, et quidem solus; nam anno demum quarto regni Ioakim socium et collegam regni sui accepit filium suum Nabuchodonosorem iuniorem, ut habetur Ierem. c. 25, v. 1.

98. QUÆRES VIII. *An Ieremias fuerit proditor patriae suae, et Hierosolymam tradiderit in potestatem assyriorum?* R. Negative. Calumniantur quidem increduli, et aiunt, Ieremiam Nabuchodonosori in expugnanda Hierosolyma magno usui fuisse, et huius prophetae adiumento reapse eandem esse expugnatam. « Ut enim, inquiunt, Ieremias concivium suorum animum frangeret, eosque a defensione urbis avocaret, praedicebat illis certum interitum, et sine intermissione hortabatur, ut ultro et cito hosti se dederent; sic enim meliorem futuram ipsorum sortem, quam si pertinaciter resisterent. Interim, quod bene notandum est, idem propheta, augebat suas possessiones; et in regione, cuius proximam devastationem praedicebat, emebat sibi novum agrum, claro indicio, quod iam praenoverit mercedem suam ab assyriis se recepturum. Et revera liberaliter remunerabatur eundem postea rex assyriorum, dum eum belliduci suo Nabuzardan optime commendatum,

(1) L. 11 antiq. c. 4.

(2) L. 1 Histor. c. 5.

(3) Luc. c. 1, v. 32.

(4) In chronico ad initium sui commentarii biblici, tom. 1 posito, c. 55, concl. 5, Dices I.

libertate aliisque egregiis donis affici iussit. » In hunc modum de *Ieremia* increduli (1) disserunt.

Sed expendamus paulo enucleatius, quam falsae, quam male fundatae sint omnes hae contra sanctum prophetam eructatae calumniae. Negari quidem non potest, quod *Ieremias* concivibus suis certum interitum praedixerit, et quod eosdem ad ultroneam deditionem adhortatus fuerit; verum haec adhortatio in obstinatorum iudaeorum animis effectum caruit. Ii potius credebant *Hananiae*, et aliis falsis prophetis, contrarium praedicentibus (2); *Ieremiam* vero in carcerem coniecerunt; ipsi autem extrema pertinacia hosti repugnabant; et idcirco postea irati victoris gravio rem furorem, ut eis *Ieremias* praedixerat, experti sunt. Quis iam ex his gestis, et ex ipso rei eventu non videt, *Ieremiam* fuisse verum prophetam, et iudaeis salutare monitum seu consilium dedisse, urbemque Hierosolimam absque ipsius adminiculo (utpote cui iudaei nec credebant, nec obsequabantur) in potestatem hostium venisse?

Ceterum si sola praedictio excidii iusta causa esset, prophetam suspectum habendi de prodicione urbis vel regni, cuius interitum praedicit; sequeretur, quod *Ieremias* non tantum proditor iudaeorum fuerit, sed etiam idumaeorum, moabitaram, ammonitarum, tyriorum, et aegyptiorum, imo ipsorum etiam assyriorum; nam omnibus his regnis feralem desolationem praenunciavit (3). Equidem cum harum posteriorum gentium hostibus *Iere-*

(1) *Esprit du Judaïsme*, c. 9, p. 152. Bible expliquée p. 457.

(2) *Ierem.* c. 28.

(3) Vide quatuor capita, nimirum *Ierem.* c. 27, 46, 50 et 51.

(4) *Ierem.* c. 52.

mias occulte non conspiravit; sed neque in iudaeorum excidium conspiravit cum assyriis. Certe id increduli nulla solida ratione probare possunt. Sic vana est suspicio, quod memoratus propheta (4) in atrio carceris potius agrum in *Anathoth* emerit a suo patruale HAC DE CAUSA, quia vidit, se ob prodicionem patriae suae accepturum mercedem ab assyriis. Emptio enim illa neque fiebat auro assyriaco; neque ex terrena cupiditate possessiones suas augendi, aut pingues fructus ex agro illo percipiendi; sed facta est iussu Dei (5), eratque symbolica quaedam actio portendens, quod terra illa, a iudaeis ex captivitate babylonica dimissis (id quod post 70 annos (6) futurum esset) iterum inhabitanda et colenda sit; in cuius rei confirmationem propheta librum emtionis in vase fictili, in futura tempora asservari iussit (7).

Sed neque favor hostilis regis, eiusque belliducis erga *Ieremiam* evincit, hunc prophetam fuisse proditorem patriae suae. Ambo *Nabuchodonosor* et *Nabuzardan* non poterant non magni facere virum, qui, prout verisimiliter ex transfugis (8) intellexerant, tanta certitudine praedixit futura; et tam imperterrite odiosam veritatem, nulla habita ratione gravium persecutionum, publice coram rege Iuda et aulicis, coram sacerdotibus et falsis prophetis, et coram universo populo annuntiavit: et quamvis illi (scilicet rex assyriorum, et huius bellidux) Deum iudaeorum non profiterentur; honorabant tamen *Ieremiam* tamquam amicum Dei sui, et verum

(5) *Ibidem* v. 6. et seqq.

(6) *Ierem.* c. 29, v. 10.

(7) *Ierem.* c. 52, v. 8-15.

(8) *Ierem.* c. 38, v. 19. *Rex Sedecias ad Ieremiam dixit: sollicitus sum propter iudaeos, qui transfugerunt ad chaldaeos.*

prophetam. *Dominus Deus tuus*, ait *Nabuzardan* ad *Ieremiam*, cum eum de catenis solvi iussit, *locutus est malum hoc super locum istum, et adduxit; et fecit Dominus, sicut locutus est* (1).

Inde nati sunt favores illi a rege hostili eiusque belliduce exhibiti *Ieremiae*, solutio de catenis (2), libera electio vel in Iudaea remanendi, vel cum *Nabuzardan* pergendi Babylonem (3); et exigua quaedam munera ad vitae sustentationem servientia (4). Magnifica sane remuneratio! praesertim cum facultas remanendi in Iudaea adhuc multis aliis concessa fuerit (5). Quaeso, an ab hoste victore tam tenuibus donis compensari solet proditoris fidelitas?

His omnibus adde, quod *Ieremias* non uno in loco (6) iudaeis liberationem ex captivitate babylonica post 70 annos futuram praedixerit, cuius prophetiae veritatem ipse eventus comprobavit, claro indicio hunc prophetam non proditorem patriae suae, sed verum et a Deo inspiratum vatem fuisse. Certe iudaei illi in captivitate babylonica detenti, quibus *Baruch* (7) legebat literas *Ieremiae*, audientes plorabant (8), et dolebant, quod eius monitis divinitus inspiratis, ut chaldaeorum imperio sese sponte submitterent (9) non paruerint. En! coaevi testes gestorum *Ieremiae*, quibus illa ipsa

(1) *Ierem.* c. 40, v. 2 et 5.

(2) *Ibid.* v. 4.

(3) *Ibid.*

(4) *Ibid.* v. 5, ubi dicitur: *Dedit quoque ei (i. e. Ieremiae) magister militiae cibaria et munuscula, et dimisit eum.* Quae verba *Calmetus* cum aliis interpretibus hoc sensu intelligit, quod praeter cibaria alia quaedam ad vitae sustentationem servientia, puta indumentum, argentum, dono dederit *Ieremiae*; iste enim nudus erat, et catenis vinculus, non secus ac vilissimus quivis ex captivis.

(5) *Ibid.* v. 6.

monita dedit, agnovere huius prophetae innocentiam, divinam missionem ac immunitatem a crimine prodicionis. At post annos tandem bis mille quadringentos prodicionis scelus in *Ieremia* se deluxisse somniant increduli nostrae aetatis, quae quidem res tam acuti ingenii, tantaeque benevolentiae viris ingentem scilicet gloriam conciliat.

SCHOLIUM. *Lutherus* de seipso a parte pronuntiat, quod si tempore *Ieremiae* extitisset, et huius prophetiam de interitu Hierosolymae audisset, tam parum id credidisset, ut potius propriis manibus *Ieremiae* caput amputasset; et tamen fatetur ultro, quod iniuste egisset, cum prophetia haec fuerit a Deo *Ieremiae* inspirata, et re ipsa impleta. Verba *Lutheri* in colloq. conviv. (*in seinen Tischreden*) artic. 60, *De patriarchis et prophetis*, titulo, *prophetarum severae conciones adversus hypocrisim et idololatriam*. German. edit. Francofurti an. 1567, pag. 499, in prima facie paginae sunt haec: *Da Ieremias sagt: Ierusalem wird zerstört werden, wenn ich das von ihm hatte gehört, so hätte ich ihm selber den Kopf abgeschlagen; Und doch gleichwohl hats der heilige Geist durch Ieremiam geredet; und es ist auch also geschehen und ergangen.* Latine: *Dum Ieremias ait: Ierusalem vastabitur, si hoc ex eius ore audivissem,*

(6) *Ierem.* c. 25, v. 11. et 12; item c. 29, v. 10. Et *Baruch.* c. 6, v. 2.

(7) *Baruch.* c. 1, v. 3. Vide *Calmeti* commentar. in *Baruch.* c. 1, v. 5.

(8) *Baruch.* c. 1, v. 5.

(9) *Baruch.* c. 2, v. 20-25. Vide *Calmeti* commentar. in *Baruch.* c. 2, v. 21, ubi eruditus hic interpres citat *Ierem.* c. 25, v. 9, 10, 11, et c. 27, v. 7, 8, 9 et seqq., et c. 28, v. 14, quibus in locis *Ieremias* iudaeos a chaldaeis subigendos praedicit, et capite quidem 27, v. 8 et seqq. iudaeos hortatur, ut chaldaeorum imperio sese sponte submittant.

ipsem ei caput amputassem: et tamen id Spiritus s. per Ieremiam locutus est; atque etiam ita factum est et evenit. Eadem verba extant etiam in aliis editionibus colloq. conviv. *Lutheri* ex. gr. in edit. Francofurt. an. 1568, pag. 390, in altera facie paginae. In edit. Francof. an. 1573, pag. 383, in prima facie. In edit. Islebiensi an. 1566, art. 61, pag. 538 in prima facie.

Sic increduli hodierni sunt constituti; omnia negant et pernegant pertinaciter, imo fors eorum quidam caput amputare parati essentis, qui ex. gr. aeternitatem poenarum, divinitatem Christi, infallibilitatem ecclesiae, praesentiam realem Christi in eucharistia, iudicium extremum, etc., praedicant. Attamen omnia ista aut fient, aut facta iam sunt. Per impudentem incredulorum contradictionem divinae revelationes et prophetiae non evacuabuntur.

99. **QUAERES IX.** *Quomodo illud (Ierem. c. 34, v. 2 et 3) de rege SEDECIA vaticinium: ECCE EGO TRADAM CIVITATEM HANC IN MANUS REGIS BABYLONIS... ET TU NON EFFUGIES DE MANU EIUS; SED COMPREHENSIONE CAPIERIS, ET IN MANU EIUS TRADERIS; ET OCULI TUI OCULOS REGIS BABYLONIS VIDEBUNT... ET BABYLONEM INTROIBIS, cum illo altero vaticinio (Ezechiel. c. 12, v. 13): EXTENDAM RETE MEUM SUPER EUM (i. e. super Sedeciam), ET CAPIETUR IN SAGENA MEA; ET ADDUCAM EUM IN BABYLONEM IN TERRAM CHALDAEORUM; ET IPSAM NON VIDEBIT, IBIQUE MORIETUR, conciliari possit? An Ezechiel non contradicit sibi metipsum, et collegae suo Ieremiae? Si enim Sedecias adductus est in Babylonem, viditque regem Babylonis, quomodo hanc urbem potuit non videre? R. Nulla*

- (1) Cap. 12, v. 15.
(2) Ierem. c. 39, v. 2.
(3) Ibidem v. 5.

hic est vera, sed duntaxat apparens contradictio. *Sedecias* venit Babylonem in terram chaldaeorum, nec tamen hanc urbem vidit, prout *Ezechiel* (1) recte asserit; quia iam ante ex mandato regis Babylonis ei effossi erant oculi. Res ita contigit: urbs Ierusalem a *Nabuchodonosore* rege Babylonis capta est anno undecimo *Sedeciae* regis Iuda (2). *Sedecias* quidem noctis favore dilabebatur, sed tandem in hostium manus incidens, *Reblatham* ad *Nabuchodonosorem* deducebatur (3). *Huius* iussu caecitate multatus (4) Babylonem in terram chaldaeorum abstractus est (5). Ita prophetiae conciliantur, quarum illa *Ezechielis* nunquam illum visurum Babylonem praenuntiabat; altera vero *Ieremiae*, visurum illum suis oculis regem Babylonis (nempe in *Reblatha*) ac ingressurum urbem Babylonem aserebat.

SCHOLION. Citata *Ezechielis* verba cum non intelligeret rex *Sedecias*, putaretque esse contraria verbis *Ieremiae*, neutrius oraculis credidit, teste *Iosepho* lib. 10 Antiquit. c. 10. Sed, ut vidimus, duo illa prophetarum in speciem pugnancia oracula exacte conciliata sunt.

100. **QUAERES X.** *Quomodo illud (Ierem. c. 36, v. 30): NON ERIT EX EO (i. e. ex Ioakim rege), QUI SEDEAT SUPER SOLIUM DAVID, cum illo (IV. Reg. c. 24, v. 5 et 6); DORMIVIT IOAKIM CUM PATRIBUS SUIS, ET REGNAVIT IOAKIM FILIUS EIUS PRO EO, concilietur? R. Trimestre illud, idque valde turbulentum, quo *Ioakim* regnum possedit, chaldaeis obnoxius; et post quos in captivitate babyloniam (6) cum omnibus aulicis abductus est, non meretur nomen sessionis super solium David.*

- (4) Ibidem, v. 7.
(5) Ibidem.
(6) IV. Reg. c. 24, v. 14 et 15.

Scripturae enim mos est, parva parvi pendere et habere pro nihilo (1). Unde regnum *Ioakin* (qui alio nomine (2) *Iechonias* dictus est) adeo breve, atque arctae adeo auctoritatis pro nihilo haberi potest. Porro *Ioakin* successorem in regno habuit *Sedeciam* patrum suum; qui proin non fuit ex eo, i. e. neque filius, neque nepos ipsius.

NEQUE DICAS, regis *Ioakin* posterius regnasse. Nam R. si non fuerunt reges, sed ut summum duces ac principes tributarii, regibus Persiae subiecti (3).

101. **QUAERES XI.** *An IEREMIAS cum Baruch (Ierem. c. 43, v. 5-8) Iudaeos illos, qui contra prohibitionem Domini (Ierem. c. 42, v. 18) ex Iudaea in Aegyptum secesserant, licite comitatus sit? R. Ieremias verus et sanctus propheta haud dubie agnovit voluntatem Domini, et prohibitionem illam divinam rite intellexerit; neque de viro prophetiae dono et sanctitate morum conspecto praesumendum, quod contra agnitam Dei voluntatem quidquam facere attentaverit. Idem praesumendum de *Baruch* eius discipulo et scriba. Itaque dicendum, quod prohibitio illa Domini non spectabat singulos, sed solum principes et populum in genere; illis nihilominus cum populo Aegyptum pentibus, *Ieremias* et *Baruch* se iungere potuerunt; praesertim quia expedire non videbatur, ut populum desererent, et ab idololatriae, aliisve violationibus legum divinarum non cohiberent. Haec enim fuit ra-*

tio, cur Deus iudaeos noluerit ire in Aegyptum, ne fiant idololatrae more gentium ibi degentium; quodque reipsa factum est, *Ieremia* iudaeos illos, qui in Aegyptum fugerunt, ab idololatra frustra dehortante: prout patet legenti Ierem. cap. 44, vide etiam *Menochium* (4).

102. **QUAERES XII.** *Cur loco Nabuchodonosoris (Ierem. c. 46, v. 16) vox COLUMBA ponatur; REVERTAMUR - A FACIE GLADII COLUMBAE, i. e. gladii Nabuchodonosoris, et chaldaeorum; cum tamen nulla sit similitudo columbae cum tam formidando rege et gente? R. Graves docti interpretis (5), ideo hoc loco nomine columbae appellari *Nabuchodonosorem* et chaldaeos; quod hostilis iste rex celeriter advenisset, et quasi volans ut columba, vel quod chaldaei in vexillis et labaris suis praeferrent columbam, sicut romani aquilam; idque, ut notat *Diodorus Siculus* (6), in gratam memoriam *Semiramidis*, primae reginae suae, quae, ut poetae fabulantur, a columbis enutrita fuerat, et a morte in columbam versa (7). Porro, qui plura hac de re scire cupit, adeat *Cornelium a Lap.* (8).*

103. **QUAERES XIII.** *Quo sensu (Ierem. c. 51, v. 36) de Babylone dicatur: DESERTUM FACIAM MARE EIUS ET SICCABO VENAM EIUS; cum tamen haec urbs longe fuerit a mari dissita, et non huic, sed Euphrati adiacuerit? R. Quamvis Babylon chaldaeorum metropolis (9) a mari longe esset dissita, merito tamen*

bam, quod celeriter advenisset, et quasi volans ut columba, vel quod in vexillis suis haberet columbam.

(6) L. 2, cap. 2.

(7) Vide *Diodorum Siculum*, loc. cit., c. 5.

(8) Comment. in Ierem. c. 25, v. 58, c. 46, v. 16, c. 50, v. 16.

(9) Duplex diversa erat *Babylon*. Una

(1) Vide *Bonfrerit* praeloquia in s. Scripturam c. 21, sect. 4, canon. 19.

(2) Vide *Matth.* c. 4, v. 14.

(3) Vide II. *Esdr.* c. 9, v. 36.

(4) *Commentar.* in Ierem. c. 42, v. 10.

(5) Vide praeter alios interpretes, *Menochium* comment. in Ierem. c. 46, v. 16, ubi celeberrimus hic interpret ait, *Nabuchodonosorem* hoc loco vocari colum-